

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XXXI. De quadam querela.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

XXX. ORATIO QUANDO CORONAM VIRGINES ACCIPIUNT.

ACCIPE, Domine, sponsam tuam, illique cum puræ castitatis liliis cunctis diebus occurre.

Accipe, Domine, sponsam tuam, illique cum diligentis laboris rosis ad bonum finem usque occurre.

Accipe, Domine, sponsam tuam, illique cum profundissimæ humilitatis violis occurre, eamque ad tuum deduc thalamum, ab amplexu omnis amoris tuo nunquam separandam.

XXXI. DE QUADAM QUERELA.

HÆC est amantis animæ querela, quam sola non potest sustinere, sed omnibus Dei amicis edicere debet, ut amoris servitio consentiant. Amoris ægritudo, corporis molestia, pœna, necessitas, duraque constrictio, iter nimis elongant qua ad dilectum Dominum tendunt. Quomodo etenim, dilecte, tamdiu te frustrari potero? heu! nimis procul a te remaneo. Numquid, Domine, querelam meam recusas? Ergo, in luctum meum rursus redibo, expectans patiens, simul tacens et loquens. Optime scis, dilectissime Domine, quam libenter demorer apud te: *Dominus noster*: Quando venero, magnus veniam. Non adeo magnum erit malum quod non bene sanare valeam. Tu me exspecta, te magis paratam invenire volo, antequam ad Patrem meum deducam, ubi majus te manet complacitum. Nunc vero libenter ad aures resonat tua amoris querimonia.

Quando obscurior fit humanus sensus, tunc cum querela excitemus divinum erga Dominum nostrum amorem.